



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

II. De divino officio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

diœcesi indulgetur. Dominica tamen die nul-
lum jejunium, nec die, Christi natalibus sa-
cro, etiamsi sit *antefabbatinus*: quod ecclesia
latina ceteris festis non dedit².

1) C. 2. X. de observ. jejun. 2) Dist. 30 c. 7. C. 1.
& 3. X. de observ. jejun.



C A P. II.

DE DIVINO OFFICIO.

I.

Series
precum
publica-
rum,

in libros
relata.

PRECES publicæ, quarum seriem *officium*
seu *cultum divinum* appellamus, ex tra-
ditione apostolica inde ab ecclesiæ incunabulis
observatæ, pro provinciarum diversitate di-
versum habitum induerunt. Clerici omnes &
omnes monachi psalmos *memoriter* cantarunt,
& ordine libros scripturæ, diversis tempori-
bus assignatos, legerunt, ceterasque carimo-
nias, in majoribus observatas, peregerunt.
Multo post observantia illa in regulas mona-
sticas, veluti in regulam Benedicti, qua c. 8.
& 9, seq. longo ordine omnis ratio Psalmodiæ
enarratur, & in libros publicos ecclesiasticos,
veluti in *psalterium*, *lectionarium*, *antiphona-
rium*, *sacramentarium*, aliosque, relata est, in
quibus paucis verbis literisque *rubentibus* pre-
cum gestuumque comitum ordo modusque no-
tantur. Unde natæ sunt *rubricæ*, hujus rei
unæ, eademque fidelissimæ, indices. Quas
particulatim cum cunctis carimoniis describe-
re, longum foret, & justî voluminis opus.
Summos saltem apices attingere juvat.

II. INSTITUTUM autem est divinum officium, ut publice cum cantu & omnibus caerimoniis rei convenientibus celebretur. Igitur in singulis diœcesibus saltem unus locus patere debet, quo populus singulis diebus & horis singulis pro suo quisque affectu & otio confluere possit. Talia loca sunt ecclesiæ cathedrales & collegiata. Clericos, quippe in nullam vitæ civilis partem vocatos, assidue publicos officio interesse decet, & si per negotia ecclesiæ utiliora impediuntur, saltem privatim easdem preces recitare tenetur¹.

1) C. ult. C. 29.

III. UNDE nascitur omnium clericorum, qui in sacris sunt, aut beneficia tenent, obligatio ad recitandum officium. Justum enim est, ut saltem id dent ecclesiæ, ut pro populo, præsertim pro iis, qui per negotiorum multitudinem nec sæpe, nec diu, precibus immorari queunt, Deum orent¹. Novissime hæc obligatio disertis constitutionibus inculcanda videbatur, condemnatis beneficiariis, qui negligentiores essent, ad ratam fructuum restituendam². In plerisque ecclesiis ob donationes ob animam interserenda sunt officia seu Missæ extraordinariæ, quas eos, qui his gaudent, fideliter peragere decet. Sed quum per tot sæculorum decursum, accumulatis piis foundationibus, id institutum vix exitum habere possit, Concilium Tridentinum³ Episcopis permisit Missarum numerum arctare, ita tamen ut benefactorum memoria semper recolatur. Id quod aula Romana restrin-

absolvit
officium,
vel publi-
ce,

vel priva-
tim reci-
tandum;

git ad fundationes ante concilium Tridentinum factas, & in posterioribus auctoritatem papæ desiderat.

1) c. 2. D. 91. & 9. C. 1. X. de celebr. miss.

2) Constit. Pii V. n. 135. 1571. 3) Sess. 25. Ref. c. 4.

in quo
sequenda
observan-
tia eccle-
siæ loci,

IV. IN cantando officio *publico* sequenda est observantia ecclesiæ, in qua cantatur. Sed qui *privatim* id recitant, neque ad horas, neque ad corporis diversos gestus, ingeniculationem, vel erectionem, adstringuntur. Sufficit enim XXIV. horarum spatio integrum perstringere officium. Præstat tamen anticipare, quam rejicere preces¹. Hinc omnes horas minores mane, & matutinas pridie ejus diei ab hora quarta pomeridiana recitare, permissum. Multo tamen præstat, horis, quoad ejus fieri potest, stricte inhærere, ne sanctissimi instituti fructum perdamus, qui est, ut subinde in Deum defixi aliquo modo assequamur præceptum divinum de jugiter orando². In his utendum officio dioceseos, in qua domicilium; nisi *Romanum* præferatur, cujus usus per omnem ecclesiam latinam permissus. Correctum illud est ex decreto concilii Tridentini³, & ab omnibus novarum congregationum presbyteris receptum. Adoptatum est etiam a pluribus Franciæ provinciis servandæ uniformitatis obtentu; sed revera ob librorum inopiam, & quod correctu essent difficiles⁴.

1) Gloss. in c. presbyter. X. de celebr. miss. verbo persolv.

2) 1 Thess. VI. 17. Luc. XVIII. 1. 3) Sess. 25. inf.

4) Concil. Burdigal. 1583. c. 4. Aquens. 1585. Narbon. 1609. c. 40.

V. QUUM Christiana religio non consistat in cærimoniis, nec ipse Christus præter eas, quæ ad sacramenta pertinent, alias præscripserit; quidquid harum est, ab apostolis & ecclesiæ pastoribus accepimus: qua in re pro temporum & locorum diversitate maxima cernitur diversitas. Principio officium *lingua* cujusque gentis *vulgatissima* latissimeque patente, quæ in occidente *latina* erat, celebratum. Quum istæ linguæ a vulgi usu procedente tempore recesserint; ecclesia, novationum inimica, nihilominus publicum earum usum retinendum censuit. Major est in ritibus discrepantia, quibus tamen unitas ecclesiæ haud atteritur, quum nec doctrinam, nec mores afficiant¹. Sic Græci aliique Christiani orientales *rituali* a nostro diversissimo utuntur, & plerisque in Francia cathedralibus, immo & Benedictinis, proprii ritus & propria sunt officia. Est hæc pars libertatis ecclesiastica a Gregorio M. profecta, qui *l. 12. ep. 31. §. 3.* discipulo suo, Augustino, auctor est, ut optimum quodque, sive sit ex Romana, sive ex Francicis ecclesiis haustum, Anglis præcipiat. Vetus præceptum est, ut in singulis provinciis unum saltem observetur officium, ecclesiæ scilicet Metropolitanæ proprium².

quum diversarum ecclesiarum sint ritus diversi.

1) *C. 14. X. de offic. jug. ord.*

2) *Dist. 1. c. 31. dist. 2. c. 31.*

VI. SINGULÆ preces & cærimoniarum series, quum sit tantum institutionis humanæ, ex justis & gravibus causis, mutari potest, v. gr. ut fabulæ aut superstitionis ritus,

Mutari potest ab episcopo.

si quos superiorum temporum ignorantia in-
vexit, eliminantur¹. Sed sola *ordinariorum*
auctoritate, quibus multo magis novationes
impedire, eisque resistere licet; qui devo-
tionis obtentu, sive per ignorantiam sive per
lucris cupidinem, divinum cultum alterare, &
in sacris novo ritu ineptire audent. Si ex cer-
tis causis, veluti ob sterilitatem agrorum, ob
inclementius cælum, ob hostium incursionem,
aliasque calamitates, itemque ob victoriam ab
hoste reportatam, aliaque divina beneficia, ex-
tra ordinem Deus vel exorandus vel laudan-
dus est; episcopus formulas præscribit, tem-
pusque, & locum & formam indicat: qua in
re nulla *judicium secularium* auctoritas, qui-
bus cognitiones causarum, ad officium divi-
num pertinentium, interdictæ sunt². De præ-
dicationibus aliisque institutionis generibus
parte I. c. 12. quantum satis est. Nunc de sa-
cramentis dicendum.

non a ju-
dice sa-
culari.

1) *Conc. in Trullo c. 43. conc. Trid. sess. 22. c. 25. infra.*

2) *Mem. du Clergé part. 1. tit. 2. c. 5. n. 6. 7. 8. c. 8. c. 4. n. 18. &c.*

C A P. III.

DE BAPTISMO, CONFIRMATIO-
NE, EUCHARISTIA.

I.

Baptif-
mus in
eclesia

BAPTISMUS, extra casum necessitatis, publi-
ce in ecclesia, ubi sunt fontes baptismales,
solemni ritu suscipiendus est. Olim ipsi infan-
tes